



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quis dicatur calumniator, & quid sit calumniari, & quali pœnâ sit
afficiendus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS II. DE CALUMNIATORIBUS.

§. I.

Quis dicatur calumniator, & quid sit calumniari, & quali poenâ sit afficiendus?

Calumniari aliud non est, quam falsa crimina proponere, & calumniator, propriè loquendo, dicitur ille, qui falsum crimen alicui in iudicio imponit, ita tamen, ut alia calumnia sit vera, quando quis scienter, & per dolum, falsum alicui crimen objicit; alia verò sit præsumpta, quando quis crimen, de quo accusavit aliquem, aut denunciavit, non probat, aut in probatione deficit; præsumitur enim hic talis, animo calumniandi, licet movisse, nisi ex quibusdam indicis appareat, eum probabiliter litigasse.

Calumniator autem, qui scienter & per dolum falso accusavit alium, punitus olim fuit poenâ talionis ordinaria, hodie tamen puniti solet poenâ extraordinariâ, ad arbitrium Iudicis, varias circumstantias attendentis; uti colligitur ex *c. Super his. 16. de accusat. & c. Cum foris. 1. h. t.*

§. II.

An, & ob quas causas excusetur accusator à calumnia, ejusque poenâ; & an etiam denunciator puniatur, tanquam calumniator, si in probatione criminis deficiat?

Excusatur à calumnia, etiam præsumpta, accusator, si iustâ causâ, & ex-

rore probabili ductus accusavit, etiam si postmodum in probatione criminis deficiat, ut constat ex *L. 1. sed non utique ff. ad senatus consultum Turpillianum*, ita ut nec ad expensas solvendas condemnari possit. Sunt autem causæ justæ excusantes ejusmodi plures, ut si semiplenè saltem probavit; si fuit à testibus deceptus, &c. Neque tamen publici denunciatores, qui publicâ auctoritate ad denunciandum crimina constituti sunt, aut ad probandum denunciatum crimen obligantur, aut si in probatione deficiant, poenâ aliquâ puniuntur, ex præsumpta aliqua calumnia, modò nominent testes de delictis verosimiliter informatos, aut alia indicia aperiant, quibus Iudex ex officio moveri possit, ad ulteriorem inquisitionem; cum esset in talibus calumniæ præsumptio, qui ex necessitate officij denuntiant; subinde tamen ad poenam calumniantium evitandam, si non sufficienter probant, quod denuntiant, probare debent, saltem per juramentum proprium, quod non animo calumniandi denuntiaverint, ut ne denunciatores cum boni publici periculo

sibi semper timere debeant, de poenis calumniantium.



Tyyy 2 TL